



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XV. Ad cap. XI. de aetate & qualitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

Clerici prohibentur medicinam facere.

Medici impune nocent.

adspirabat. Cum verò recordaretur arte sua se sæpius fuisse frustratum, consuluit Pontificem, an ad sacros ordines admitti posset. Nempe imperitia & multò magis negligentia medico utique imputatur. *l. illicitas. d. sicuti. ff. de offic. præsid. l. Idem juris. ff. ad L. Aquil.* sed & religiosi & alii in sacris constituti prohibentur medicinam facere *c. fin. Ne cler. vel Monachi.* Eamque exercentes arbitrio superioris puniuntur *c. tua. X. de homicid. Gloss. in C. sententiam. X. Ne clerici vel Monachi.* Ideò religiosus chirurgiam exercens, si ex eà mors sequatur, fit irregularis, etsi peritus est & diligens, & pietatis etiã causa fecerit. *d. c. tua.* Meritò. Præsertim si per mortes hominum discitur. Hujus enim non nisi in Care periculum faciendum vetus parœmia suadet. Temeritas enim & imprudentia, solenne Medicorum vitium, abundè per se pollens & ad perniciem. Alienis enim periculis discunt, ipsi securi, & hoc ipso felices, quod prosperos eorum successus sol adspicit, adversos tegit tellus. Nempè una hæc ars tristissimis experimentis constat & ab omni ævo

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς αἰδὶ πρῶτα ψεν

ἤρτων, ait P. Cunæus in Sardibus venalibus p. 65. Vide Plin.

lib. 29. *Auson. lib. 1. Epigr. 74.* Foppium ab Aizema *dissert. lib. 1. c. 2. c. 1.* Gilbert. Cognat. in *adag. p. 493.*

CAP. XV.

Ad cap. XI. de ætate & qualitate.

S U M M A R I A.

- | | |
|---------------------------|------------------------|
| 1. Præficiendi, qui? | 4. Tonsura clericalis. |
| 2. Abbates, καθηγουμένοι. | 5. Παπαλήθηρα. |
| 3. Prima tonsura. | |

Præficiendi, qui?

IN Rubricâ h. t. habetur de ordine præficiendorum: Quinam illi? In tertia compilatione ita concipitur rubrica: *De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum, & ordine præficiendorum.* In quartâ: *De qualitate ordinandorum, præficiendorum & ordinantium, vel ut in aliis libris, Ordinis.* Per præficiendos intelliguntur, qui non propriè ordinantur, sed eliguntur, nec inter ordinum gradus censentur, ut sunt dignitates omnes, officia Eccle-

Ecclesiastica & Præfecturæ, licet aliquando manus impositionem
 citra *σφραγίδα* ab Episcopo recipiant, v. g. Abbatia. Abbates e-
 nim propriè præfici dicuntur *in c. cum contingat, & seq. b. t.* quod
 defumtum est ex compil. IV. Hi dicuntur Græcis *καθηγυμένοι* & *Abbatēs*
ἡγυμενεία præfectura monasteriorum, quam ex Episcoporum per- *καθηγυ-*
 missione capiunt Abbates, ut habet Balsamo *ad Can. 14. Synodi VII.* *μένοι.*
 nec possunt officium exercere, quin sint sacerdotes, ut idem scri-
 bit *ad can. 6. Syn. Carthag.* Quin & confessiones audire debent
 & lectores ordinare & tonsuram conferre possunt. Archidiaconi,
 Archipresbyteri, Decani, Primicerii, & alii, qui suo munere
 funguntur non per ordinationem & manus impositionem, quâ
 character imprimitur, fiunt, sed per solam benedictionem, & ita
 dicuntur ordinari *in can. nullus. & seq. dist. 60.* ubi ordinatio & in-
 stitutio indifferenter usurpantur. Ergo Abbas si presbyter est &
 benedictus, potest conferre tonsuram & alios minores ordines in
 proprio monasterio, *can. 14. Synodi VII.* Vide concil. Trident. Et *Prima ton-*
 per primam itaque tonsuram clericalem ordinem conferri tradi- *sum.*
 tur in fine hujus capituli. In album enim clericorum adscribitur
 & fit capax beneficii Ecclesiastici, *cap. Cum adeo. X. de rescrip. c. ex*
literis, de transact. Et monachi quidem radebantur ad cutem. Sal-
 vianus lib. 8. de provid. *Intra Carthaginiis muros palliatum & palli-*
dum & rescissis comarum fluentium júbis ad cutem tonsuram videre tam
infelix ille populus, quam infidelis sine convitio atq; execratione vix
poterat. Hanc rasuram Græci *δόπκαρσιν* & *δόπυρσιν* vocant, *έν-*
χρῶ κεκαρμένως vocat Dionysius lib. 2. d. *caelesti hierarchiâ cap. 6.*
 Paulinus *Epist. 7. ad Severum: Castâ infirmitate capillum ad cutem*
msi. Balsamon vocat *δοπυρσίδα μοναχικήν.* At tonsura clericalis, *Tonsura*
 ἢ *σεφάνη, τῆς ἰερωσύνης,* quæ & character dicitur, & episcopalis *clericalis.*
 corona, Symmacho, Ennodio, Sidonio, aliis, quam *σφραγίδα ἡ-*
σκοπικήν, characterem episcopalem Balsamo vocat, quâ Clerici no-
 men imponebatur, & monachi eam suscipientes clericorum nu-
 mero adscribebantur, ut idem Balsamo *ad can. 77. Concilii in Trullo.*
 Hic clericalis character dicebatur etiam *παπαλήθρα* tonsura in *παπαλή-*
 modum Coronæ. Constantinus in Epistolâ ad Sylvestrum: *ὑπὲρ θεῶν.*
τὴν σεφάνην, ἣτοι τὴν παπαλήθραν, ἣν εἶχε πρὸς δόξαν τῶ θεῶ καὶ τῶ
ἀγίῳ

ἀγία Πέτρα, ἣν ἠθέλε βασιλεῖν σεφάνην ἐκ χειρῶν, ἢ μαργαρίτων.
 Utitur Balsamo in Synodo Trullanâ can. 21. Ita enim facta erat, ut
 circulus tantummodo capillorum emineret instar coronæ. Ita
 enim Gregorius Turonensis de Nicetio Trevirorum Episcopo. *S.*
Nicetius ab ortu suo Clericos est designatus. Nam cum partu fuisset
effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo puerorum, à capillis quidem
nudum cernebatur: In circuitu verò mediorum capillorum ordo
apparuit, ut putares ab iisdem coronam clerici fuisse signatam. Sir-
 mondus ad Sidonium; Hodie, inquit, apud nos antiquam coronæ
 formam ferè soli monachi retinent, & pueri vocales symphonia-
 ci. Nam brevis ille orbis in vertice, quo cleri pars magna utitur,
 insolens olim atque inusitatus in Ecclesiâ fuit, ut docet
 can. XL. concilii IV. Toletani.

Finis Eclogæ V.

Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA SEXTA.

CAPUT PRIMUM

Leges canonisatæ.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|----------------------------|
| 1. Gratiani collectio an vim juris habeat. | 3. LL. Canonisatæ. |
| 2. Leges Imperatorie à Gratiano compilatæ an amplius quid consecuta. | 4. LL. Registratæ. |
| | 5. Dicta Patrum. |
| | 6. Gratiani dicta propria. |

Gratiani
 collectio an
 vim juris
 habeat.
 Leges Impe-
 ratorie à
 Gratiano
 compilatæ
 an amplius
 quid conse-
 cuta.

Utrum Gratiani collectio, seu corpus illud Decretorum, se-
 cundum omnes sui partes, atque adeò & ea, quæ de suo
 Gratianus addidit, eandem vim ac potestatem habeant,
 non adeò certum est. Et de canonibus & synodorum de-
 cretis jam diximus. Quid verò de legibus Imperatorum, quas in-
 seruit hinc inde? An amplius quid per id consecuta, quod in de-
 creto relatæ leguntur? Ita ut non jam solo legis arbitrio, sed & ut
 jus canonicum valeant? Responderi solet, non omnes, quæ per
 Gra-